PROPOSITIONES CATHOLICAE,

QVAS,


INGENVIS QVIBVSCVNQVE CHRISTIANIS, PER TOTVM orbem dispersis, seriò pensitandas, supplex offert pius Ecclesiæ Filius.



LONDINI,
Excudebat *M. Flesher* impensis *Nathanielis Butter* in Cœmiterio Paulino.
M.DC.XXXIII.

7

By Joseph Hall, bp of Norwich





OMNIBVS QVI per totam Israelem Dei sequuntur *Absalonem* simplici corde.



Olite diutius falli Christianæ animæ; liberæ estote, ut sitis salvæ; miserè vobis imponit sacra quædam tyrannis, fucumque facit, ut errare usque mavelitis, & perire; Rationem vobis indulsit Deus, sed et fidem; nolite

committere, ut mera mancipia sitis alienæ voluntatis, putetisque è re vestra esse, ultro cæcutire; Deponite tantisperdum præjudicium omne, ac superstitiosam partium curam; perpendite seriò, quæ istic, tanquam pro tremendo Dei tribunali, suggerere me jussit pius amor, vestræque salutis amica quædam ambitio.

Ni clara sint quæ dixero, atque ita ingenuo cuique planè aperta, ut lucem aliunde mutuari parùm opus habeant, damnate inutilem hanc schedulam, & authorem tantillæ operæ dispendio, severi judices multate: Quod si satis in se luculenta visa fuerint, atque ejusmodi, quæ libero ingenio fidem, non tam suadere,

quam

quam facere poßint, cedite (per Deum immortalem) cedite è cœlis exerentiſe potentiſsimæ veritati; agnoſcite, præter errorum Lernam, miſerã illius, olim celeberrimæ Eccleſiæ inſolentiam, ac crudelitatem, quæ (Gerſonis verbo utar) de opinione fidem facere voluit, ſibique nimis impotenter favens, in ſanctos Dei ſervos, ferro, flammiſque ſævire non deſtitit; & fovete demum (quicquid intonuerit ſuperbus furor) illos verè fratres veſtros verè Chriſtianos, verè pios, qui (pro juſta fidelium hominum libertate) incerta quædam, & nuper nata novæ fidei dogmata reſpuunt & deteſtantur.

De erroribus circa fidem, prima parte.

Quòd ſi quis veſtrum forte an decipi

pi adhuc ac decipere maluerit, & clarissimæ huic luci (quod malevoli canes solēt) obstrepere, & oblatrare, frustra hujus miserebitur silens, mærensque anima mea; disputatum est ilicet satis, superque: Facessant deinceps rixæ omnes chartaceæ; dirimet è cœlo, Deus has lites. Stupete Catholici omnes, &, quorum interest, resipiscite.



PROPOSITIONES CATHOLICÆ.

I.

QVilibet verè Christianus, et eo nomine propriè capax est salutis, et (quoad rem fidei) rectâ tendit ad vitam æternam.

2.

Quiſquis in Eccleſiam Dei per legitimum Baptiſmum ritè admiſſus, tenet, creditque omnia Chriſtianæ fidei capita eſſentialia, verè (quoad fidem) Chriſtianus eſt.

3.

Summa fidei Chriſtianæ ſunt principia religionis Chriſtianæ; et illa fundamentalia (quæ appellamus) fidei ſtatumina, quæ in Canonicis Scripturis, ſive expreſſe ſive per neceſſariam con-

ſequentiam,ſymboliſque veteri-bus,a tota Dei Eccleſia receptis, ac approbatis, indubitatè conti-nentur,proponunturque.

4.

Nulla poteſt eſſe nunc die-rum nova fidei norma.

5.

Vt nec nova norma fidei, ita nec eſſe poteſt ulla nova fides; Nulla ergo creatura poteſt mo-dò facere aliquid de fide, quod non fuit olim, aut efficere ut de fide non ſit,quod prius fuit.

6.

Hæreticus esse non potest, nisi qui pertinaciter negaverit quæ verè sunt de fide; asserueritve fidei Christianæ articulis contraria.

7.

Sunt & esse possunt multa Theologicæ disquisitionis capita, quæ credi et solent, & possunt, tanquam doctrinæ piæ, & probabiles, ab hac vel illâ particulari Ecclesiâ, ejusve doctoribus, eorumque asseclis; præter illa essentialia

tialia fidei capita, absque pacis publicæ præjudicio.

8.

Vtcunque liceat viris doctis ac particularibus Ecclesiis, & credere, & tueri illos probabiles, certosve (qui sibi videntur) veritatum Theologicarum apices; non tamen illis fas est, hujusmodi doctrinas, cuicunque sive Ecclesiæ, sive homini, obtrudere, tanquam de necessitate salutis, certè credendas, tenendasque; aut personam, cætumve quemcunque, aliter opinantem anathemate ferire, & ab Ecclesiæ sinu ejicere.

9.

Non obstante hujusmodi injusto anathemate, quisquis principia illa, et essentialia fidei Christianæ capita tenuerit, quantumvis ab omnibus Ecclesiis visibilibus, loco dissitus, ac semotus, ut ut vel nesciat, vel non recipiat illa Theologicæ determinationis Theoremata, capax est (quà talis) communionis Christianæ; et si plures huiusmodi convenerint sub pastore legitimo, non potest illis, & res, & titulus veræ visibilis Christi Ecclesiæ denegari.

10.

Ecclesia Romana est Ecclesia tantummodo particularis.

11.

Omnes Christianæ Ecclesiæ non aliæ quam sorores sunt, & magnæ illius ac universalis, quæ cœlum & terram replet, matris, filiæ; pari jure quoad Deum, ac fidem; nisi quod eo honoratiores quæque sint, quo sanctiores; neque ergo licet aliis imperium quantum ad negotia fidei in alias arrogare; aut necessario credenda præscribere.

Illa

12.

Illa controversiæ capita quorum causa Catholici Reformati ab Ecclesia Romana damnari, & anathematizari solent, longè distant a fidei Christianæ principiis, neque alia sunt quàm dogmata Theologica, & particularis illius Ecclesiæ instituta.

Catho-

13.

Catholici Reformati non novum aliquod dogma in Ecclesiam subintroducere moliuntur, sed tantum superflua quædam & nupera fidei assumenta omitti, ac rejici debere contendunt.

14.

Perperam ergo ab illis requiritur Religionis suæ ac Ecclesiæ (velut aliis nixæ fundamentis) series,

ſeries, ab Apoſtolicis uſque temporibus derivanda; quandoquidem iſti ſolummodo eandem ipſam Eccleſiam Dei à quibuſdam novis erroribus, ac ſuperſtitioſis ritibus perpurgare ſe velle profitentur.

15.

Ex his omnibus neceſſario ſequitur, Eccleſiam Romanam, quæ verè Chriſtianos à ſe diſcrepantes, hoc nomine, velut hæreticos, ab Eccleſia Dei, ac ſalute excludere non veretur, magnæ inſolentiæ, læſæque graviter cha-

ritatis ac pacis ream meritò peragi. Et, è contra Reformatos, non obstante temerâ hac, & injusta illius censura, (quandoquidem omnia Christianæ avitæque fidei capita inviolabiliter tenent) salutis ac communionis Christianæ jus omne meritissimò sibi vendicare.

16.

Non minus in addendis, quàm in minuendis fidei capitibus periculi est.

17.

Quæ addere solet, & Catholicis tam Reformatis quàm suis obtrudere Ecclesia Romana, ejusmodi sunt, quæ suâ solius authoritate nituntur.

18.

Neque tuta, neque verbo divino consona esse clamitant, probantque Reformati Catholici, quæ Ecclesia Romana venditat, urgetque fidei, cultusque additamenta; nec æquum est ut accessoria hæc, in quibus sui juris esse

debet quæque Ecclesia, reluctātibus imperiosè imponantur.

19.

Manifestam Ecclesiæ Romanæ philautiam arguit, & grave tandem judicium à Deo reportet necesse est, particularem hunc cœtum, incapacem se præstare melioris aliquando condicionis, dum se errare non posse jactitat, & eos omnes, qui tantillū remedii afferre velle profitentur, diris devovet, & in imum barathrum detrudit.

20.

Positis hisce omnibus, palam est in tuto esse Catholicos Reformatos, Romanos miserè & errare, & periclitari; sed & ab illis solis stare, quo minùs Ecclesia Dei ad fœlicem puritatem ac pacem reducatur.

1 Tim. 2.7.

Perpendite quæ dixi; & det vobis Dominus intelligentiam in omnibus.

AMEN.